



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.









10

DE
PERSICIS NOMINIBUS

APUD
SCRIPTORES GRÆCOS

FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

THESIM PROPONEBAT

MICHAEL BRÉAL

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

A LIBRIS ORIENTALIBUS BIBLIOTHECÆ IMPERIALIS

LUTETIÆ PARIORUM

APUD A. DURAND, EDITOREM

VIA DICTA DES GRÈS, 7.

—
M DCCC LXIII

DE
PERSICIS NOMINIBUS

APUD
SCRIPTORES GRÆCOS

FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

THESIM PROPONEBAT

MICHAEL BRÉAL

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

A LIBRIS ORIENTALIBUS BIBLIOTHECÆ IMPERIALIS



LUTETIÆ PARISIORUM
APUD A. DURAND, EDITOREM
VIA D'CTA DES GRÈS, 7.

—
M DCCC LXIII

Erny 3. 1114



ORIENTALIUM LITTERARUM

EGREGIO INTERPRETI

E. RENAN

REVERENTIÆ TENUE TESTIMONIUM

HOC OPUSCULUM DICABAT

AUCTOR

I

DE PERSICIS NOMINIBUS IN UNIVERSUM DISSERITUR.

Neque acumen ingenii, neque doctrinae copia defuerunt viris qui, abhinc duo saecula, primum conati sunt eruere quænam persicis nominibus, quæ apud scriptores græcos occurrunt, significatio inesset. Id vero unum præclusum erat iter quo exquirere licuisset unde illa verba essent ducta : scilicet linguæ, cujus persica nomina quasi fragmenta referebant, notitia deerat. Non hebraicæ litteræ quas admovit Bochart (1), non arabicæ aut recentiores persicæ ad quas confugerunt Hyde (2), Reland (3), Burton (4), aditum ad hanc doctrinam dabant : itaque, multo labore impenso, in-

(1) *Phaleg, Chanaan et Hierozoicon.*

(2) *Historia Persarum eorumque magorum.*

(3) *De reliquiis veteris linguæ persicæ. (Dissert. Miscellanæ.)*

(4) *Leipsana veteris linguæ persicæ.*

terpretationis inceptum misere periit. Ætas illa antiquitatis indagandæ admodum curiosa, et quidquid ad veterum historiam spectabat cognoscendi avida, multa eodem modo aggressa est priusquam pateret via, qua accedere necesse esset.

His demum temporibus, triginta ante annos, cum libri nomen Zoroastris præ se ferentes ingenio egregii nostri Burnouf explicari cœperunt, ac muri cuneis inscripti (de eo simpliciore cuneorum genere agitur, quod primum vocant) nos docuerunt Achæmenidarum linguam, cum zoroastrea satis congruentem, tum justa cum spe successus persica nomina interrogare licuit. Ipse Burnouf, qua erat singulari perspicacia, plura explanavit (1) : porro eorum qui zendicam promoverunt disciplinam, pæne nullus est qui non aliqua enucleanda suscepit (2), imprimis vero Pott qui, non semel id opus mira eruditione aggressus (3), multa nomina inter se contulit, multa explicavit. Ex hoc proventu (doctissimorum virorum venia dixerim) quidquid mihi certum aut verisimillimum videbatur, seligere proposui et in

(1) *Commentaire sur le Yaçna. Études sur la langue et les textes zends.*

(2) Benfey und Stern, *Die persischen Monatsnamen.*

Lassen, *Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes*, t. VI.

Spiegel, *Avesta-Übersetzung*, I, p. 280. *Die altpersischen Keilschriften.*

Kern, *Specimen historicum exhibens scriptores græcos de rebus persicis Achæmenidarum monumentis collatos.*

Rawlinson, *the Persian cuneiform inscription at Behistun.*

Oppert, *les Inscriptions des Achéménides.*

(3) *Etymologische Forschungen*, t. I, p. xxxv ss. *Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft*, t. XIII, p. 359 ss.

ordinem quam planissimum disponere : neque de propriis facultatibus nonnulla addere et historicis excursibus nimium jejunas disquisitiones interdum alere pro vetito habui.

Primum cavendum est, ne majore fiducia eam interpretationem aggrediamur, neve in omnia nomina introitum speremus. Minima enim pars linguæ persicæ, vel libris sacris, vel inscriptionibus conservata, ad nos pervenit : quandoquidem pleraque Romanorum gentilia nomina, quamvis latinum sermonem fere totum acceperimus, explanari nequeunt, quis in tanta persicarum vocum egestate multa etyma nos latere mirabitur? Est enim natura id genus vocabulorum quæ ad personas nuncupandas usurpantur obscurius atque velut usu detritum. Adde quod vix fieri non poterat quin nomina a populo linguæ persicæ ignaro audita et enuntiata sæpe corrumperentur; procul dubio multos sonos, tum aspirationibus mixtos, tum palato expressos, quibus persica lingua abundabat, propriæ euphoniæ accommodavit Græcia; Strabo (1) nos docet Græcos nomina sæpe immutasse, præsertim barbarica : *Daricem*, ait, *Darium* dixerunt, et *Pharzirim Parysatim*, et *Atargatim Atharam* : quam Ctesias *Derceto* vocavit. Nec frustra quidem; ut videtur, conati sunt ad concinnos numeros persica nomina componere, siquidem nostra Scudéry, quum exquisitos ad sonum voluit

(1) XVI, 4, 27.

introducere personas, meros exhibuit *Artabanos*, *Tiridates*, *Orondates* (1).

Sæpius quoque evenit ut, Græcorum menti, dum persica vocabula proferebant, græci nominis falsa imago surreperet et sinceram externæ appellationis formam depravaret : itaque *Zarathustra*, vates ille inclytus Persarum quem astrorum cultum instituisse perhibebant Graii, *Zoroastres* nuncupatus fuit; *Hagamatanam*, nunc *Hamadan* vocatam, unam e præcipuis Persarum regni urbibus, in *Agbatanam* vel *Ecbatanam* detorserunt, cum recordatio verbi βαίβειν linguæ illuderet. Errore simili *Ashtaroth*, deam celeberrimam Phœnicum, Herodianus *Astroarchem*, *Eloah-Baalam* *Heliogabalem* Romani appellarunt. Nullus fere est populus qui non in istum modum voces extraneas deflexerit; sermo enim, velut humanum corpus, in suam naturam advectitia vertere, et, quidquid a se alienum est, aut immutare aut respuere solet (2).

In hac vero indagatione occasio nobis suppetet Græciam deprehendendi, non ut solet, in semetipsam con-

(1) Cf. Plautum :

Ita sunt Persarum mores : longa nomina
Contortiplicata habemus.

(*Persa*, IV, 6, 25.)

(2) V. Letronne, *Mémoire sur les noms propres grecs* (Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres, t. XIX, 1851, p. 119). Quanquam persicæ linguæ ignarus, vir insigni perspicacitate ac scientia, Letronne, illo in opere rem solito acumine attingit : plura persica nomina affert græco vestitu omnino dissimulata, inter quæ unum et alterum infra ad geminam formam revocare tentabimus.

versam sed alienis vocibus attentam, peregrina etyma inquirentem et quodam modo βαρβαρίζειν annitentem. Nonnulli certe Græci persicè locuti sunt (1) : Themistocles qui, ut aiunt, paucos intra menses barbari sermonis scientiam arripuit, Xenophon (2) qui inter Armeniæ ac Persidis linguam comparisonem instituit, Histiaeus Milesius quem medice locutum esse testatur Herodotus (3), Ctesias qui maximam vitæ partem apud Regem degit, Theopompus, de Persis celeberrimi operis auctor, Alexandri legati ac præfecti, innumerique illi qui, sive apud Persas profugi, sive clam in Græciæ civitatibus, cum hoste colludebant, barbarico sermone forsitan imbuti erant. Cum μηδισμός apud Græcos quotidianum pæne crimen esset, non semper pectore clausum, sed aliquando ad labra pervenisse eum suspicari possumus.

Quanti intersit cognoscere Herodotusne persicè sciret, nemo est qui statim non sentiat. Quem ejus sermonis (neque id vitio vertere venerando historiæ patri mihi in animo est) minus peritum fuisse ex duobus locis apparet. Quum enim *Mithram*, deum apud Persas nulli secundum et in ore omnium tam crebro versatum ut Xenophon per imitationem induceret Cyrum μὰ τὸν

(1) V. J. Fr. Cramer, *De studiis quæ veteres ad aliarum gentium contulerint linguas*, Sundiæ, 1844. Hæc, quæ afferimus testimonia, neglexit auctor.

(2) *Anab.*, IV, 5, 34.

(3) VI, 29.

Μιθρην (1) jurantem, deam esse opinaretur, exitu verbi, ut videtur, delusus, subobscurum scientiæ testimonium dedit : nec certe odoratus est quantum negotii facesse-
ret commentatoribus suis ac mythologiæ interpretibus, qui, nunc androgynum Mithram, nunc Mithrarum par excogitaverunt ut de difficili loco se expedirent. Altero autem, quem in mente habemus, Historiarum loco, ipse se bonus Herodotus eruditionis suæ ostentatione prodidit ac, dum Persas ipsorum linguæ arcana docere voluit, incitiam ingenue patefecit. « Hoc, ait, aliud habent Persæ, quod ipsos quidem latet, at nos non præterit. Scilicet, nomina eorum... desinunt omnia in eadem literam, quam Dores *san*, Iones *sigma* vocant. In hanc literam, si volueris inquirere, reperies desinere Persarum nomina, non unum et alterum, sed pariter omnia. » Neque id, hercule! scripsisset jucundissimus narrator, si præsentire ei licuisset quam acerbis increpationibus, quam copiosis refutationibus caput objiceret! Satius contra et æquius fuisset Herodoto gratias agere quod annotatiunculam suam, falsam licet, nobiscum communicaverit : per quam nimirum licet introspicere quo pacto Græci Persica nomina depraverint.

Quod quomodo factum sit, explanare tentabimus : quum casus quos *obliquos* grammatici dicunt, crebrius usu adhibeantur quam nominativus, nil mirum si ii po-

(1) *Cyrop.* VII, 5, 53. Cf. *Œc.* IV, 24. *Plut. Artax.* 4.

tissimum extraneorum memoriæ inhæserunt atque ad eorum similitudinem falsos nominativos Græci sibi effinxerunt. Hos vero plerosque in literam S terminare placuit. Ut exemplis utar, *Artavan*, id est *Excelsus*, apud Græcos Ἀρτάβανος nuncupatus est: quam formam ex indirectis casibus *Artavánam*, *Artavana*, *Artavanó*, etc., conjecerunt; nomen illud suffixo *van* formatum est. Suffixum *vant*, cum aliis casibus *vantam*, *vanta*, aliis autem *vata*, *vató*, *vaté*, etc., efficeret, duplex genus nominum apud Græcos protulit, alia in ἀντης, όντης, ceu *Orontes*, *Artontes*, alia in βάτης, ceu *Mitrobates*, *Izabates*, *Agdabates* desinentia. Idem enim egerunt Græci ac si quis, græci sermonis ignarus, pro nominibus *Xenophon*, *Hieron*, *Conon*, *Astyanax*, *Hector*, declinatione deceptus, nominativos *Xenophontes*, *Hieron-tes*, *Conones*, *Astyanactes*, *Hectores* confingeret. Neque id sane in populo externa verba acciscente mirandum: quin illæ indicæ dialecti e sanscrito natæ quas pâlicam et prâkriticam appellant, nullo seu suffixi seu compositionis verbi respectu, in primam declinationem impingunt nomina quæ ad tertiam referri manifesto necesse erat (1). Simile aliquid in hodiernis, a latina lingua derivatis, sermonibus evenisse satis notum. Non enim ad nominativos *ratio*, *pons*, *pes*, *flos*, sed ad indirectos casus referre convenit gallicas et italicas for-

(1) Burnouf et Lassen, *Essai sur le pâli*. Storck, *Pâlicæ grammaticæ specimen*.

mas : *raison, ragione; pont, ponte; pied, piede; fleur, fiore.*

Non hic disserendi est locus intra quarum regionum fines persicæ linguæ usus vigeret, num in singulis provinciis varietates sermonis exstarent, an de *semiticis* dialectis aliquid in persicas manaverit. Ea tantum nomina explicare tentabimus quæ *dricam* originem manifesto præ se ferent, neque multum curabimus utrum e Perside, an e Media, Bactriana, Sogdianave oriunda sint : Strabonis scilicet testimonio nitentes qui apud illos populos unam atque eandem ferè linguam usu floruisse declarat (1); quod quidem hodierna experientia videtur confirmare, quum in illis quas nomine communi Iran vocamus regionibus idem ubique persicus sermo nunc quoque, ætate longa detritus licet et arabicis mistus verbis, sit usitatus. Ceterum nemo est qui nesciat propria nomina facile ex una in alteram provinciam migrare : quæ per ora hominum vulgo feruntur neque certam habent patriam.

Temporum contra diversitas attente nobis respicienda erit; quum enim per longam sæculorum seriem perstiterit Græciæ Romæque cum Persis conjunctio, non ad eundem linguæ statum referri debent omnia, quæ in Occidentem nomina devenerunt : sed valde immutata est post Alexandri victorias casumque persici

(1) Strabo, XV, 2, 8; cf. XV, 2, 14. Arrianus, *Indica*, 38, 1. Assyriaca quoque nomina ad radices áricas referre tentat Scheuchzer, *Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft*, 1862, p. 482 ss.

regni et græci sermonis admissionem Achæmenidarum lingua. Easdem fere immutationes quas lingua latina, jamdiu laborans et in senium vergens, passa est cum Barbari romanum imperium everterunt, zendica quoque lingua experta fuit cum Darii solium cecidit. Detritæ sunt terminationes nominum, truncata conjugatio, corruptæ vocales literæ, debilitatæ consonantes. Conversionem illam sermonis, quæ Parthorum regum et Sassanidarum numismatibus satis apparet, nomina propria quoque exprimunt a Græcis Romanisque scriptoribus conservata: quin aliquando factum est ut nomen quod zendica prius forma ad Græcos pervenerat, posterius iterum in Occidentem deferretur, sed nova indutum forma, quam ad linguam pehivicam aut pâzendicam assignare oportet. *Mithradates*, id est a Deo Mithra creatus, apud Herodotum exstat; *Meherdates* idem nomen apud Tacitum sonat: *Mithras* enim recentioribus dialectis Persarum in *Mihr* corruptum est. *Phrudates*, id est Creatus (*fra-dâta*), quod nomen præsertim in compositione, exempli gratia *Autophradates*, occurrit, omissione literæ *d* postea *Phruates* (1) est factum. Imo vigente adhuc Persarum regno linguæ depravationem diversis locis jam manifestam deprehendimus: plura nomina ducuntur a stella quam Persæ *Tistrya* zendice, pehvice autem *Tîr* vocant; inter quæ *Tissaphernes*, id est *Tistrya-frâna* (vita a *Tistrya*

(1) Quod ad lapsum literæ *t*, *d*, attinet cf. nostrum *Noël* (*natalis*), *féal* (*fidelis*), etc.



donatus) veterem formam satis retinet; *Tiridates*, *Tiribazos*, *Teritouchmes* (1) contra jam apud Xenophontem novam nominis faciem exhibent. Inclytus Persarum propheta Zoroastres, simili nominis corruptione, apud Agathiam (II, 24) *Zarades* nuncupatur, quæ forma ad hodiernum *Zerdasht*, *Zerdusht* jam referri debet. In ipsis inscriptionibus, quamvis angusto duorum sæculorum spatio contineantur, linguæ inclinationem observare licet : quum Artaxerces Longimanus jam non, velut majores, *Artakhsatra*, sed consonantium immutatione *Ardakhasca* vocetur (2).

Aggrediamur igitur nominum interpretationem : quoniam autem certus ordo nobis constituendus est, a diis incipere, dein ad reges transire, post hæc aliquas Persarum dignitates explicare, postremum geographica nonnulla attingere in animo est.

(1) *Tistrya-dhâta* (a *Tistrya* creatus), *Tistrya-bâzu* (*Tistryæ* brachium), *Tistrya-taokhma* (*Tistryæ* filius).

(2) Benfey, *Die Keilinschriften*, p. 67. Spiegel. *Die Altp. Keilinschriften*, p. 64.

II.

DE NOMINIBUS AD RELIGIONEM PERTINENTIBUS.

Quæ de Persarum religionibus Græci tradiderunt plerumque vera esse nunc inter omnes convenit : supremum numen jam apud Platonem nominatur (1), *Oromazes*, qua in appellatione facile eum quem libri sacri *Ahura-Mazda*, inscriptiones *Auramazdâ* vocant, agnoscimus. E duobus verbis id nomen constat : *ahura*, sanscritice *asura*, hoc est *Vivens*, in Vedarum dialecto *deus* : *mazda*, sanscrite *medhas*, id est *Sapiens*, cognomen deorum *Indræ* aut *Varunæ* apud Indos (2). Neque singulæ partes separatim adhibitæ apud scriptores græcos desiderantur : de antiquo quodam rege *Masde* loquitur Plutarchus (De Is. et Os. 24) qui apud Phryges virtute et potentia floruerat; quo in loco deum Oromazem, errore frequentissimo, partes antiqui regis suscipien-

(1) *Alcibiades*, I, p. 122.

(2) In verbo Ὀρομάζης ζ vim habuisse τοῦ σδ zendica forma demonstrat.

tem, designari suspicamur. Quin Hesychius sub verbo *Mazeus* : Μαζεύς, ὁ Ζεὺς παρὰ Φρυγί. Hoc nomen in geographicis quoque appellationibus agnoscimus : Strabonis *Massabaticæ* (1) terminatione græca addita regionem *Mazdæ* sacram (*Mazdavatî*) significare videtur; neque alio referre convenit Ptolemæi (2) *Mesabatas* et Plinii (3) *Mesabatenem* (4), quorum *a* propter similitudinem græci μέσος in *e* immutatum est (5).

Priorem vero partem, *Ahura* scilicet, vel græce Ὀρο, in quibusdam propriis nominibus deprehendere possumus; *Oropastes* (6) enim eum qui *Ahuræ* auxilio utitur (*Ahura-upaçta*) significare potest, *Orophernes* vero eum qui ab *Ahura* vitam ducit (*Ahura-frána*). Non aliam originem habet ille de quo Scriptura narrat *Holophernes*. Forsitan et huc revocandus est *Suidæ Orondates*, nasali haud recte interposita. Recentiori autem tempore duo vocabula quibus nomen dei constabat in unum, *Ormuzd*, coaluerunt : quam novam formam libri historici qui de *Sassanidis* agunt in no-

(1) Strabo, XVI, 1.

(2) VI, 4.

(3) VI, 31.

(4) Adde *Ariamazæ* (id est venerandi *Mazdæ*) dictam petram apud Strab. XI, 11, 4.

(5) Pott. l. c. p. 431.

Adde *Mazæos* (Arr. an. III, 2, 1).

Mazaces (Arr. an. III, 1, 2).

Mazares (Her., I, 156).

Mazaca urbs Cappadociæ (Strab. XII, 2).

(6) Justinus, I, 9.

mine *Ormisdas*, id est ab Ormuzd creatus, nobis præstant.

Hoc sæpe animadversum est, Herodotum silentio prætermisisse nomen præcipui Persarum dei : nempe id græce transtulit. « Persis, inquit, mos est Jovi in summis montium jugis facere sacra, universum cœli orbem Jovem nominantibus (τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλεῦντες) (1). » Non injuria profecto Oromazem cum Jove confert, cœlo apud utrumque populum supremo deo habito. In errorem autem impulit is Herodoti locus Hesychium qui, cum crederet Δία vere persicum nomen esse, sub voce Δῖαν ea scripsit : Δῖαν · μεγάλην ἢ ἔνδοξον · τὸν οὐρανὸν Πέρσαι.

Duo nomina generatim in deos conveniunt : *yazata* (2), id est sacrificio dignus, unde recentius vocabulum *ized* (Deus, genius) natum est : quod in nominibus invenimus *Izabates* (3) quod alii *Izalbates*, *Ixalbates* scribunt. Altera appellatio deorum est *bagha* (4), scilicet liberalis, quam Hesychius ita explanat : Βαγαῖος, Ζεὺς παρὰ Φρυγί. Sæpius ea nominibus inserta apud historicos occurrit : *Bagapæos* (*baghapâyu*) qui a deis seu a deo alitur, *Bagasaces* (5) (*bagha-çaoka*) qui bona a diis accipit, *Bagapa-*

(1) I. 131.

(2) A radice *yaz* sacrificare, unde *yaçna* sacrificium.

(3) Ctes. ed. C. Müller, p. 47 b.

(4) Sanscritice *bhagbhaga*, a radice *bhoj*, dare, dividere, unde græcum φάγομαι.

(5) Her. VII, 75.

tes (1) qui diis dominis utitur, *Bagistanon* (2) deorum sedes.

De illa voce *bagha* nonnulla addenda sunt : quippe quæ in nominibus lateat, in quibus eam primo adspectu non facile agnoveris. Non enim semper litteræ persicæ *b* Græci suum β substituebant, sed adhibebant interdum quam minus exspectasses litteram μ (3). Primum testimonium affert inscriptio bagistanensis quæ *Smerdim*, seu potius, ut infra videbimus, *Merdim*, celeberrimum illum regni persici turbatorem, appellat *Bardiyam*. Alterum exemplum ex libris sanctis haurimus qui *Sanherib* Σενναχηρίμ (*Paralip.* II, 32) appellant. Tum urbs *Ecbatana* persice, ut ante dictum est, *Hagamatan* (nunc *Hamadan*) vocabatur. Denique ipsi veteres historici testimonio sunt : idem enim Persa qui apud Ctesiam *Bagapates*, apud Plutarchum (*Vit. Artax.* c. 17) *Masabates* nomen gerit, *Megabazus*que apud Justinum (III, 1) in *Bacabasum* convertitur. Quæ quum

(1) Ctes. p. 47 b.

(2) Diod. II, 13.

(3) Græca littera β , inde a primis temporibus, molliter prolata fuisse atque propemodum aspirationis locum obtinuisse videtur. Quod nimirum triplici comparatione apparet : 1° multæ voces, de communi fonte depromptæ, quæ latine *v* exhibent, græce β usurpant : *vorare*, βορά, βρώσκω; *vivere*, βιώω; *volo*, βούλομαι, in quibus verbis a principio fuisse sonum *v* radices sanscriticæ demonstrant. 2° In certis porro græcis nominibus β cum spiritu leni locum permutare potest : Βελλεροφόντης, Ἐλλεροφόντης, ἰδεῖν, laconice βιδεῖν; ἔργον, βέργον. 3° Hæc ipsa denique quam instituimus indagatio ostendit suffixum zendicum *vat* græce translatum fuisse βάτης. Quum igitur pronuntiatio litteræ β lenior videretur quam ut zendicum β exprimeret, ad litteram μ interdum Græci confugerunt, quemadmodum hodierno tempore Μπωναπάρτ (*Bonaparte*), Μπριταννίξ (*Bretagne*), scribere excogitaverunt.

ita sint, nihil impedit quin vocem *bagha* in nominibus *Megaphernes* (*Bagha-frána*) qui vitam a diis accipit, *Megabates* (Her. III, 32; Thuc. I. 129) divinus, *Megadostes* (*Bagha-zaçta*) Deorum manus, *Megabazos* (*bagha-bázu*) Deorum brachium, reperiamus. Græci autem eo libentius has syllabas *Mega* in nomina externâ inserebant, quod apud ipsos multa, ut *Megacles*, *Megasthenes* ita incipiebant, ac nonnunquam significatio quædam inde elici videbatur, quum *Megaphernes* is haberi posset qui magnam dotem (φερνή) (1) acceperat.

Comparatio autem verborum *bagha* et *mega* nos adducit ut quæstionem attingamus quam V. Cl. Letronne pro parte virili desperaverat (2) : cur sacerdotes Dianæ Ephesiæ *Megabyzi* appellarentur. In priore parte hujus vocabuli, nomen divinitatis *bagha* invenimus : in altera autem suspicamur contineri verbum *yaz* (3), id est sacrificare, quod lingua recentiore *iz* enuntiatur (4) : littera autem β a Græcis inserta esse videtur, lenis aspirationis loco, ne vocales *a* et *i* in unum coalescerent. *Megabyzos* est igitur, ut opinor, *Bagha-yáza*, deorum seu dei sacrificator. Quum autem Dianæ Ephesiæ

(1) Melius Æschylus : Ἀτραφέρνης, *Persæ*.

(2) O. c. p. 123, n.

(3) Cf. *daévaydza*, dæmonum sacrificator. (Cf. sanscriticum *ritvij* id est *ritu-ij*, qui ritu sacrificat.)

(4) Vide supra *yazata*, hodierna lingua *ized*, et nomen *Izabates*. Nunc quoque ignis adoratores *yezidi* vocantur. Ad hanc quoque vocem *Oarizos* (Herod. VII, 71) *hvare-yáza*, qui cælo sacrificat retulerim : quod vocabulum Procopus dignitatem designare affirmat (*de Bello punic.* I, 12).

sacerdotes spadones essent (quod quidem a zoroastrea doctrina plane abhorret, sed de phœnicio aliquo cultu sumptum videtur) vox *Megabyzus* in significationem *eunuchus* detorta est a Græcis atque eo sensu a comicis poetis arrepta est. Hac in explicatione confirmamur exemplo alterius vocabuli, *Bagōas* seu *Ba-gōus* (1), quod similiter *eunuchum* apud Græcos Romanosque designat, manifesto autem a voce *bagha* originem ducit ac forsitan nihil aliud est nisi *baghu*, *baghuwa*, eodem modo formatum ac *Kuru*, *Margu*, *paru*, *paruwa*. Nec veteres affinitatem verborum *Megabyzus* et *Bagoas* omnino ignorasse videntur; quæ Quintilianus ita componit: « Statuarum artifices. . . nunquam in hunc inciderunt errorem, ut Bagoam aut Megabyzum aliquem in exemplum operis sumerent. »

Scio explicationi quam dedimus, quod ad posteriorem partem vocabuli attinet, repugnare nomen unius e septem conjuratis quem Herodotus *Megabyzus*, inscriptio Bagistanensis autem *Bagabukhsa* appellat. Fieri autem facile potuit ut Græci duo nomina pæne similia uno eodemque modo proferrent, quum præsertim Herodotus priori jus civitatis jam dedisset. Ceterum synonyma propemodum sunt *Bagayáza* et *Bagabukhsa* quum illud eum designet qui Deis sacrificat, hoc autem eum qui Deos cultu auget.

Nunc redeamus ad deos persicos. Oromazi subjecti

1. Nonnulli codices Strabonis pro Βαγῶος Μαγῶος scribunt. v *Thes. H. Steph.* ed. Hase, s. v.

insequuntur septem genii quos *amesha-çpenta* (hodierno sermone *amschaspands*), i. e. *Immortales sanctos* Persæ vocabant, quorumque numerus, ut opinamur, ad planetarum imitationem excogitatus est. *Amesha* ad sanscriticum *amrita* (*amarta*) convenit, quod radice *mri* (*mar*), id est *mori* et privativo *a* constat : idem est igitur ac græcum *ἀμβροτος*. *Çpenta* originem ducit a radice *çvit*, *çvet*, splendere. Optime Plutarchus, Theopompo auctore, eorum naturam indolemque describit : nomina vero omittit. Quæ, si non omnia, saltem unum et alterum, apud historicos invenimus. Imprimis vero vocabulum *çpita*, *çpenta*, sanctus, vel derivata, *çpitama*, *çpitaka* in his nominibus comperimus : *Sphendadates* (1), *Spithradates* (2) a sancto vel sanctis creatus, *Spitamas* (3), *Spitaces* (4), *Spitamenes* (5) sancta mente præditus.

Ex quibus septem geniis unus *Vôhu manô* zendice, nunc a Persis *Bahman*, id est Bonus animus, appellatur : quem Plutarchus, si Plutarcho adscribere convenit *de Iside et Osiride* tractatum, accommodate ad etymologiam *εὐνοίας* deum esse perhibet. Prior pars verbi sanscritice sonat *vasu*, quod significat bonum, opes. Pars altera sanscritice est *manas*, quod cum græco *μένος*, latine *mens* optime congruit. Ille vero genius

(1) Ctes. p. 48.

(2) Ctes. p. 55 b.

(3) Ctes. p. 46 a.

(4) Ctes. p. 46 a.

(5) Arrianus, III, 28, 10

Vôhu-manô apud Strabonem (1) Ὠμανός, *Persarum dæmon*, dicitur.

Alter deus *Asha-vahista*, id est Puritas optima nuncupatur : *asha*, sanscritice sonat *rita*, latine *ritus*; *vahista* est superioris *vôhu* superlativum, quod in nomine proprio *Vasthi* i. e. optima libro Esther reperi-
mus. Hunc deum *Asha-vahista* in nomine Persæ cu-
jusdam, *Asidates*, jure, ut putamus, Pott odoratur.

Præter septem genios, multa alia numina Persæ colunt : primo loco ponendus est *Mithra*, una cum Oro-
maze sæpe adoratus, auctor lucis, veritatis defensor. Sanscritice *Mithra* vocatur, id est amicus, diurni lu-
minis in vedicis carminibus sæpe invocatum numen. Cujus duplicem naturam his verbis Darius apud Plu-
tarchum (2) exprimit, unum e servis implorans ut ve-
ritatem dicat : « Dic mihi, veritus Mithræ lumen ma-
gnum et regiam dextram. » Nihil autem opus est id no-
men apud scriptores investigare, quum in romanis mo-
numentis toties occurrat : *Sebesio Mithræ. Deo invicto soli Mithræ*. Ne Persis tamen omnia illa arcana signa quæ
mithriacis monumentis inveniuntur, mactatum bovem,
leonem, serpentem, scorpionemque adscribamus, ac
cetera reconditæ doctrinæ ænigmata : singulari enim
fortuna usus est Mithra, ut ad externas gentes accitus
novo cultui commodaret nomen, ac non sua sacra nan-
cisceretur. Abhorrent ea implicata obscuraque mys-

(1) XI, 8, 4; XV, 3, 15.

(2) *Vita Alex.* 30.

teria a Persarum simplicitate. Neque ad veterem Zo-roastris religionem referendæ sunt inventiones romani imperii recentioris ætatis.

* Nomina in quibus *Mithram* invenimus plurima occurrunt : *Mithradates* (a *Mithra* creatus), *Mithropastes* (1) (*Mithra-upaçta*, *Mithræ* auxilio fretus) (2), *Mithropaustes* (3) eadem fors formatione, au falso pro *a* similitudine verbi $\pi\alpha\acute{\upsilon}\omega$ introducto, *Mitrostes* (4), *Mithraustes* (5) (*Mithra-avaçta*, *Mithra* protectore utens), *Mitræos* (6), *Mitrobates* (7), *Mithrines* (8) (*Mithræ* addictus), *Mithrabarzanes* (*Mithræ* obediens).

Dea nobis commemoranda est de qua sæpius scriptores græci mentionem faciunt, *Anaïtis* (9), quam nominis similitudine delusi *Artemis* quoque appellant. In sacris Persarum libris sæpe invocatur, *Anâhitâ*, cognomine *ardvî, çûrdâ*, id est *Immaculata excelsa strenua* (10). Fontes, flumina, lacus, mare sub potestate habet : puritati præsidet. Cujus cultum peregrinis cærimoniis mixtum fuisse suspicari licet, si Strabonis locum (XI, 14,

(1) Strabon, XVI, 3.

(2) Cf. supra *Oropastes*.

(3) Plut. *Them.* 29.

(4) Ctesias *Μητρούστης*, η non recte pro ι.

(5) Arrian. *An.* III, 8, 8.

(6) Xenoph. *Hellen.* II, 1, 8.

(7) Herod. III, 120.

(8) Arrian. *An.* III, 16, 5.

(9) Strabon, XI, 8, 4 ; XI, 14, 16 ; XV, 3, 15.

(10) Apud Anquetil nomen gerit *Ardouissour* : apud hodiernos Persas *Anâhid* planetam Venerem designat.

16) de publicis stupris virginum antistitum cum zendico carmine ad deam, *Aban-yesht* nominato, comparamus, ubi castitas *Andhitæ* celebratur.

Ignem quoque magno honore habitum fuisse apud Persas satis notum est : quanquam iis non fides adhibenda est, qui ignis observantia totam eorum religionem constituisse affirmarunt. Ignis, persice *atar*, quod in nominibus *Atradatae* (ab igne creatus), *Atropates* (ignis dominus, pehlvice *Aderbât*) conservatum est. *Atargatis*, celebre illud nomen deæ quam *Derceto* Ctesias vocat, vocabulum *atar* continere videtur : quum autem ignis semper apud Persas masculini generis haberetur, nihil de hoc nomine affirmate dictum voluerim. Provincia quoque quæ *Atropatene*, *Atropatia* vocatur a cultu ignis nomen ducit, cujus recordationem quoque in recentiori nomine *Aderbijan* (*âthar-vaéjô*, i. e. ignis semen) comperimus.

Hactenus de diis : neque mirandum est deorum nomina sæpe in illis appellationibus reperiri. Ut enim Græcos tantum attingam, non aliter formata sunt *Diodotus*, *Diogenes*, *Diodorus*, *Diocles*, *Diomedes*, *Apollodorus*, *Apollonius*, *Zenon*, *Herodotus* aliaque tam numerosa ut Græci peculiari appellatione ea θεοφόρα ὀνόματα vocaverint (1). Persæ autem ejusmodi vocabula fingeant non solum deorum tutelæ invocandæ causa, sed speculationibus astrologicis moti, quæ, ut satis no-

(1) Letronne, *op. cit.*

tum est, apud Medos magna auctoritate antiquitus flourerunt. Scilicet ea quæ ante enumeravimus nomina, *Oromazes, Mithra, Anáhitá*, præterquam quod deos designant, sæpe etiam, ut apud nos *Jupiter, Mercurius, Venus*, ad planetas indicandos usitata sunt : non plane igitur licet decernere utrum *Mithridates* is sit quem deus Mithra creavit an is qui sub astro Jovis (1) est natus. Superest mos adhuc apud novissimos Zoroastris sectatores, ut puerorum genitalem horam notent ac nomina eis indant ad stellarum stationem accommodata (2).

Quum autem doctrina zoroastrea bipartitum sibi mundum fingat, nempe divisum inter Deum optimum ac dæmonem pessimæ cujusque rei principium, nomina quoque inspicienda nobis erunt in quibus aliquid de hac opinione apparebit. Aristotelem (3) non fugit summi dæmonis appellationem esse *Areimanios*, in qua facile *Anromainyus*, id est ater spiritus (hodierno idiomate *Ahriman*) agnoscimus (4). Mali genii generaliter demonstrantur zendica locutione *daéva* (nunc *div*, quam Hesychius cognovit atque ita explanavit : Δεύας, τοὺς κακοὺς θεοὺς μάγοι (5). Id vocabulum jure *Pott* in

(1) Mithræ nomen gerit apud Medos planeta Jupiter a nostratibus astronomis dictus.

(2) Anquetil, *Zend-Avesta*, II, 551. Cf. Herodoti testimonium : Diem natalem omnium maxime celebrant. I, 133.

(3) V. Diog. Laërt. *De vita pph. Proæmium*.

(4) Adde Hesychium : Ἀρειμανῆς, ὁ Αἰδῆς παρὰ Πέρσαις.

(5) Ἀκάκου; falsam lectionem esse minime dubium.

nomine *Adeues*. (1), id est *non dæmonibus obnoxius*, deprehendit. *Daéva* sanscritice *deva* sonat, quod deos designat. Daéva enim apud Persas eodem modo a genuino sensu deflexit quo apud nos græcum δαίμων démon factum est.

Restat ut mentionem faciamus divini cujusdam principii quod Persæ Tempus infinitum (*zarvan akarana*) appellabant, quodque recentiore ætate tanquam summum deum ac communem Boni Malique Genii patrem reveriti sunt. Id quoque Græci cognoverunt, ut e Damascio elucet, qui, Eudemum secutus, affirmat Tempus ac spatium infinitum apud Persas principium haberi unde bonum ac malum atque imprimis lux et tenebræ orta sint. Nomen illud apud Theodorum Mopsuestenum (2) invenimus; tum multo ante apud Berosum qui, ut solet, deos in antiquos reges convertens, *Zerovanum* inficetissime cum Zoroastre commiscet, atque eum profitetur Medorum principem ac Deorum patrem fuisse (3).

(1) Æsch. *Pers.* v. 304.

(2) Τὸ μίαιρόν τῶν Περσῶν δόγμα ὁ Ζαράδης εἰσηγήσατο ἦτοι περὶ τοῦ Ζαροῦαμ, ὃν ἀρχηγὸν πάντων εἰσάγει, ὃν καὶ τύχην καλεῖ.

(3) Moses Khorenensis, *Hist. Armen.* I, 5, ap. Müller, *Histor. græc. fragm.* II, p. 502.

III.

DE NOMINIBUS REGUM.

AN APUD PERSAS CERTI ORDINES CIVIUM EXSTITERINT.

Mythologia relicta, conferamus nos ad historiam, ac reges illos celeberrimos enumeremus, quorum nominibus toties Græcia strepuit. Eo confidentius hanc disquisitionem instituere licebit, quod plerique reges Achæmenidæ inscriptionibus laudantur atque ita sinceram nominis formam certo scire possumus.

Primus adest *Cyrus*, quem cunei *Kuru* vocant : neque est cur in hoc nomine hæreamus, quamvis multa et vana veteres scriptores de eo commenti sint. *Kuru* enim idem nomen est quod in poemate epico Indiæ, *Bhârata* inscripto, sæpe maximâ cum laude commemoratur : in illo enim carmine *Kuru* avus est duarum gentium quæ inter se de summa potestate decernunt. Caveat autem lector ne hæc verba intelligat aliter ac

sentio : quippe qui non id contendam, unam atque eandem personam esse hunc, de quo Græci historici narrant, et illum quem epos indicum celebrat, *Kurum*; nomina tantum eadem esse defendo. *Kuru* autem significatur dominus, a radice *Kar*(1), agere, ad quam referri debet græcum κύριος, τὸ κῦρος.

Quum autem evenit ut vocabulum vetustum et obsoletum *Kuru* a Persis jam non intelligeretur, ad id enucleandum fabellas confinxerunt quas historici græci nobis tradidere. Κῦρος, ait Hesychius, ἀπὸ τοῦ ὑπὸ κυνὸς τεθράφθαι· ἢ ἀπὸ τοῦ ἡλίου· τὸν γὰρ ἡλίον οἱ Πέρσαι κύρον λέγουσιν. Cui verbo prior explicatio alludat, nescio, nisi forte *gar devorare* innuatur; altera autem, quamvis falsa, minime est obscura. Sol enim *hvarê*(2) apud Persas dicebatur, quod obliquis casibus *húrô*, *húré* facit : unde *Cyrum* deduxerunt. Quæ originatio si, ut ex inscriptionibus elucet, non vera est, tamen non inepta : recentiora nomina de *hvarê* reipsa formata sunt, ut *Khorschid* (*hvarê khshaéta*), id est sol rex.

Alia narratiuncula, a Strabone servata, fert *Cyrum*, qui antea *Agradates* nominaretur, sibi de flumine Cyro nomen assumpsisse. Quam omissemus nisi occasio

(1) Hæc radix plurimis formis vocalem *u* pro *a* adhibet : *kurvas*, *kuryám*, *kurvé*, etc.

(2) Sanscritice *svar*. Aspirationem persicam asperrimam fuisse, inde conjici licet quod litteris *hv* sæpe consonans *q* substituitur, ac græce exprimitur litteris κ , χ , $\chi\rho$: *hvaçpa* seu *qaçpa*, id est pulchros equos habens, græce Χοάσπης, *hvakhshathra* seu *qakhshathra*, sui potens, Κυαζάτης Cf. Lassen, *Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes*, VI, p. 154.

data esset aliqua, post Fr. Spiegel, de conjectura Casaubonis dicendi : qui in hoc loco Strabonis (XV, 3, 6), ἔστι δὲ καὶ Κῦρος ποταμός... οὐ μετέλαβε τὸ ὄνομα βασιλεύς, ἀντὶ Ἀγραδάτου μετονομασθεὶς Κῦρος, pro μετέλαβε legere proponit μετέβαλε. Non autem fluminis nomen esse potuit *Agradates* quod *primogenitus* significat (*aghra-dāta*).

Quod vero ad historiam regis Cyri attinet, magni momenti est ille Xenophontis locus, quo nos docet ipsius adhuc temporibus apud Barbaros Cyrum carminibus celebrari ac tanquam formæ ac virtutis exemplum laudari. Conjecerunt enim viri docti (1), neque nimia, ut existimo, audacia, mythicum *Kurum* quemdam apud Persas quoque exstitisse, de quo Cyrus noster nomen sibi assumpserit, ac de cuius fabulosa historia in Cyri vitam propter nominum similitudinem plura commentitia gesta irrepserint. Ita forsitan explicanda est Herodoteæ narrationis cum Ctesiana, discrepantia : forsitan ad priorem illum *Kurum* referre convenit et infantiam Cyri, quam Herodotus narrat, et mortem tragicam.

Venimus ad filios Cyri, *Cambysem* et *Smerdim*. Quæ priori nomini, quod inscriptionibus *Kambujiya* exaratur, significatio fuerit, affirmare non facile est : de altero autem paulo fusius disserere non supervacuum

(1) Spiegel, *Beiträge zur Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung*, I.

Kern, op. cit.

erit, quum scriptores græci neque historiam, neque nomen ejus constanter tradant (1).

Herodotus narrat Cambysem, dum in Ægypto moraretur, fratrem necari jussisse : cui fratri nomen erat *Smerdis*. Tum vero magus quidam, qui pariter *Smerdis* appellabatur, atque ore, habitu, simillimus erat occisi principis, fingit se esse Cyri filium ac seditionem in regem concitat. Hanc narrationem si cum inscriptione Bagistansensi contulerimus, nihil inveniemus quod non cum ea conveniat, nisi id unum : verum magi nomen non *Smerdis* sed *Gaumáta* erat. Audiamus Darium loquentem :

« Edicit *Dárayavus* rex : hoc est quod a me factum antequam rex fui. *Kambujiya*, *Kurus* filius, ex nostra stirpe, antea hic rex fuit. Hujus *Kambujiyæ* frater erat *Bardiya* nomine, ex eadem matre, ex eodem patre ac *Kambujiya*. Tum *Kambujiya* hunc *Bardiyam* occidit. . . Edicit *Dárayavus* rex : tunc magus fuit, *Gaumáta* nomine. . . Is imperium sic decepit [dicens] : Ego *Bardiya* sum *Kurus* filius, *Kambujiyæ* frater. Tunc imperium totum rebellavit, a Cambyse ad istum defecit, et Persis et Media et ceteræ regiones.»

De similitudine nominum *Bardiya* et *Smerdis* jam supra, quod ad mutationem litteræ β in μ attinet, pauca attigimus. Nunc autem accuratius id verbum inspiciendum est. Vocabulis initio litteram μ ferentibus, libenter Græci, æ præcipue Iones, σ præposuere, ut $\sigma\mu\iota\kappa\rho\delta\varsigma$;

(1) De hoc historiæ persicæ loco doctam et perspicuam disputationem instituit Kern in opere laudato p. 21.

σμερδαλέος, σμάραγδος (1) demonstrant : quæ consuetudo Herodotum impulit ut *Smerdis* scriberet. Ceterum altera lectio non deest : Æschylus enim (*Pers.* v. 774) magum *Merdim* appellat, et scholiastes, lectioni persicæ quam proxime accedens, formas *Mardis* et *Merdias* exhibet. Apud Justinum denique *Mergis*, corruptum pro *Merdis*, legitur.

Quod si ab Herodoto ad Ctesiam Xenophontemve transimus, occurrit plane diversum nomen : nullus enim apud eos Smerdis; *Tanyoxarces* seu *Tanaoxares* frater Cambysis appellatur. Hanc discrepantiam V. D. Kern concinne in hunc modum explicavit. *Tanyoxarces* fuit cognomen quod frater Cambysis gerebat : quod vocabulum e vocibus *tanva* seu *tanu* (tenuis, parvus) ac *khsatra* (imperium) constat. *Tanyoxarces* persice igitur est *Tanvakhsatraka*, scilicet minore imperio fretus, quæ appellatio eo melius cum narratione Ctesisæ et Xenophontis congruit, quod Tanyoxarcem a patre minori imperii parti præfectum fuisse tradunt, quodque titulus *Artakhsatra* contra magno imperio instructus significat. Ceterum alteram explicationem quæ eodem recidit proponere possis : *tanva-vazarka* (*minor princeps*).

De vero nomine magi qui regiam potestatem attrectavit valde inter se historici dissentiunt. Herodotum præmitto qui, manifesto errore, magum quoque *Smerdim*

(1) Σμάραγδος, ut videtur, ad vocem sanscritam *marakata*, commercio forsan ex India ad Græcos delatam, referri debet.

appellat. Apud Ctesiam *Sphendadates*, *Oropastes* apud Justinum nominatur. Exstat vero in Justiniana narratione *Comates* quidam, *Oropastæ* frater, interfector persici principis ac defectionis auctor, qui verisimiliter nemo est alius nisi *Gaumáta* in inscriptione prolatus. Alium igitur scriptorem alius supplet aut corrigit, atque hic, ut alibi sæpissime, datur e concursu documentorum veritatem elicere.

Multum quoque inter se discrepant Ctesias et Herodotus, quum enumerant septem conjuratos qui regnum magi everterunt : quorum nomina optime ac sine controversia inscriptio Bagistanensis nos docet (1). Conferamus triplicem seriem.

HERODOTUS.	CTESIAS.	INSCRIPTIO.
Otanes,	Onophas,	Ulána, Thukhræ filius.
Hydarnes,	Idernes,	Vidarna, Bagábignæ filius.
Aspathines,	Norondabates,	Ardumanis, Vahukæ filius.
Gobryes,	Mardonius,	Gaubaruva, Marduniyæ filius.
Megabyzus,	Barisses,	Bagabukhsa, Daduhyæ filius.
Intaphernes,	Ataphernes,	Vindafrána, Vayaçpáræ filius.
Darius,	Darius,	Dárayavus.

Quæ nomina inter se si comparaveris, facile adspicies Herodotum ad veritatem quam proxime accedere, Ctesiam vero in multis aut erravisse aut mentitum fuisse. Herodotus enim in uno tantummodo nomine claudicat : Ctesias contra tantum non in omnibus falsus est. Si quis igitur ex hac parte Ctesianæ historiæ ceteras pensare voluerit, vana ostentatione prædicare videbitur se

(1) Spiegel, *Die altpersischen Keilinschriften*, p. 36.

e regiis membranis (αἱ βασιλικαὶ διφθέραι) suam historiam hausisse : quis enim in ejusmodi re credat errasse regias tabulas ?

Pervenimus ad regnum Darii, qui ab Herodoto Δαρειῶς appellatur, scilicet (ut addit pater historiae persicarum significationum admodum curiosus) Ἐρξίης, coercitor. Verba ejus afferamus : « Valent, ait, græco sermone nomina ista hocce : Darius, coercitor ; Xerxes, bellator ; Artaxerxes, magnus bellator (1). » Quæ explicatio, si non omnino accurata, tamen non longe a vero abest. *Dárayavus* (quæ inscriptionum est forma) pertinet ad radicem persicam *dar*, sanscritice *dhar*, tenere, unde substantivum *dharma*, lex (scilicet id quod retinet), *dhrīta*, firmus, *dhartar*, qui legem sustinet aut tutatur. Idem valuisse *Dárayavus* videtur, a substantivo *daryu* suffixo *va* formatum. Ctesias Darium Ochum Δαρειαῖος vocat, quæ forma aptius cum *Dárayavus* congruit. Commodissima transcriptio est hebraïca *Daryavesh*. Forma quam Strabo dat *Darieces* error videtur. *Xerxes* vero et *Artaxerxes* quæ Herodotus *bellator* et *magnus bellator* interpretatur, persice sunt *Khsayársá* et *Artakhsatra*, verba minime inter se cognata. Prioris origo obscura est : alterius autem sensus vere ab Herodoto definitur ; *khsatra* enim, quod proprie eum significat, qui potestate utitur, non solum apud Persas, sed etiam in India, bellatores designat. *Ksha-*

(1) *Hist.* VI, 98.

trīya apud Indos nomen esse virorum arma gerentium, satis notum est : id autem verbum vedica dialecto simpliciori forma *kshatra* usurpatur, quæ cum persico vocabulo mire congruit. Licet inde concludere, antequam ambo populi discessissent, jam militiæ eos studuisse; sin minus, non unum atque idem nomen miles citra ultraque Indum flumen gessisset. Quum autem apud Indos peculiari classe milites (Kshatriyas) comprehenderentur, an simile aliquid apud Persas exstiterit, obiter disquirendi occasionem amplectimur.

Vedica carminâ, in quibus antiquum Indiæ statum, priusquam sacerdotali dominatione premeretur, adspicere possumus, nullam mentionem quatuor classium faciunt : illis enim priscis temporibus duo tantum ordines inveniuntur, coloni (*viças*) ac milites (*Kshatras*). Quam divisionem, iisdem nominibus (*viço*, *Khsatra*) expressam, apud Persas reperimus; cujusmodi autem fuerit ea divisio, perspicere poterimus, si hunc locum Herodoteum perpendemus. « Sunt Persarum, ait (1), plurima genera... Ea sunt hæc, e quibus alii omnes Persæ pendent : Pasargadæ, Maraphii, Maspīi. Ex his nobilissimi sunt Pasargadæ, in quibus est Achæmenidarum familia, ex qua reges Persidæ sunt prognati. Alii vero Persæ hi sunt : Panthialæi, Derusiæi, Germanii, qui omnes agrorum culturam exercent; reliqui sunt nomades, Dai, Mardi, Dropici, Sagartii. » Ex illis verbis

(1) *Hist.* I, 125.

Herodoti apparet alias tribus militiæ, alias rei rusticæ operam dedisse : nomina igitur quæ supra protulimus *vîco*, *khsatra*, non solum artium discrepantiam, sed generis diversitatem indicant. Hodierno adhuc die ea est conditio regionum quæ *Iran* et *Afghanistan* dicuntur : ad quasdam tribus pertinet agrorum cura, penes alias sunt arma ac nobilitas (1).

Occurrit autem hic perobscura quæstio, *Magi*, scilicet Persici sacerdotes, sintne referendi ad peculiarem tribum, seu indigenam, seu externam, rebus divinis præpositam? V. Cl. Spiegel (2), ad illam opinionem defendendam, nisus est loco Herodoteo : « Medorum hæ sunt gentes : Basæ, Paretaceni, Struchates, Arizanti, Budei, Magi (3). » Attulit præterea verba Ammiani Marcellini (4) : « Aucti paulatim in amplitudinem gentis solidæ concesserunt et nomen : villasque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, et legibus suis uti permissi, religionis usu sunt honorati. » Alii auctores, quum Babylonii magi sæpe a scriptoribus antiquis commemorentur, adducuntur ut veram magorum patriam, non Mediam Persidemve aut Bactrianam, sed Assyriam (5) esse credant, unde sacra

(1) V. Spiegel, *Die eranische Stammverfassung*, Mém. de l'Acad. de Bavière, VI, p. 680.

(2) *Avesta-Uebersetzung*, t. II, p. vi.

(3) *Hist.* I, 101.

(4) XXIII, 6.

(5) Imo Scythiam conjicit G. Rawlinson, *the History of Herodotus*, I, p. 430.

et doctrina ad Persas manaverint. Denique historici nonnulli alios esse affirmant magos, alios illos sacerdotes quos zendici libri appellant *atharvan*, ac perhibent magorum instituta abhorrere a Zoroastrea religione.

De postrema, quam attulimus, opinione non hic locus est fusius disserendi: satis erit si dixerimus minime eam zendicis libris confirmari. Plane enim convenit quidquid de magis Græci tradiderunt cum cultu Zoroastreo, neque nomen magorum apud hodiernos Persarum superstites deest, quum sacerdos appellatus *mobed*, nihil aliud sit nisi *magapati*, id est magister magorum. Nec minus libri zendici nos vetant credere ex Assyria magos fuisse oriundos: doctrina enim quam illis libris asservatam invenimus est omnino *drica*, brahmanicæ plerumque comparanda, a babylonia deformitate omnino absona. Quid igitur statuendum est? Idem in Media evenisse opinor quod apud Indos: sacerdotes, primis temporibus nullo inter se vinculo conjunctos, atque intra parietes domus inclusos, paulatim se in unum congregasse atque ordinem certum constituisse. Locus quem supra attulimus nos docet, temporibus quibus Herodotus floruit, jam in ordinem conscriptos esse Magos. Imo Smerdis inceptum demonstrat quantum tunc temporis jam invaluerint, utpote qui ad summam potestatem viam molirentur. Quid enim illa est Smerdis conjuratio, nisi Magorum conatus ut Cyri genus intercipient ac sacri ordinis dominationem bel-

latorum imperio substituant? quod profecto Magophonia inde orta atque solenne eo die festum satis demonstrant. Neque clades illa in perpetuum magos a summa potestate amovit: sed post multa sæcula, quum Sassanidæ imperium persicum, diu depressum et quasi defunctum, ad vitam revocaverunt, magi, in nationem aucti, summa rerum potiti sunt. Ad hoc ævum pertinet testimonium Ammiani Marcellini quod supra attulimus: quæ Persidis tempora jure comparanda sunt Indiæ temporibus in libro legum *Manu* descriptis, quum Brachmanæ, post diuturnum certamen, bellatorum classe pæne extincta, suam dominationem, nomine regii ministri se tegentes, ubique exercerent (1).

Tertium igitur ordinem, quamvis minus antiquus sit quam colonorum et militum ordo, apud Herodotum jam informatum videmus. Quartum vero nullum invenimus: neque mirum. Quartus enim in India ex iis constat indigenis gentibus quas Arii, quum invasissent regionem, subjecerunt (2): Persæ autem Medique ejusmodi gentes in suis regionibus aut nusquam invenere aut cum *colonis* misceri concesserunt. Libri sacri Persarum hanc

(1) V. *Agathiam*, 11, 26. Cf. quoque poema *Schdh-namèh* inscriptum quod, quamvis sæculo decimo sit compositum, mores ac tempora Sassanidarum refert. In illo vero carmine nihil unquam rex, nisi magorum consilio, suscipit.

(2) *Çúdræ* apud Indos viri quarti ordinis vocabantur: quos mercede conductos in exercitibus Persarum stipendia fecisse, elucere videtur e loco Megasthenis apud Strabonem (XV, 1, 6) servato, ubi Ἰνδοὶ καὶ Σούδρακται (*çúdraka*) nominantur.

divisionem triplicem commemorant (1), neque omnino eam recentiores Persæ obliti sunt, qui de mythico rege *Djemschid* narrant, ordines eum instituisse (2).

(1) *Yaçna*, XIV, 5. *Vend.* XIV, 27 ss.

(2) *Schâh-namèh*, ed. Mohl, t. I, *Djemschid*.



IV.

DE QUARUNDAM DIGNITATUM NOMINIBUS. CUJUSMODI FUERIT APUD PERSAS REGUM PRINCIPATUS.

Aliquot nomina persicarum dignitatum græci historici memoriæ tradiderunt, de quibus disquisitionem instituere ad imperii medici notitiam forsitan non inutile erit. Imprimis, quibus titulis in inscriptionibus ornaretur ille, quem præter omnes βασιλέα Græci vocabant, videamus. « Ego Xerxes (sic legimus in lapide persepolitano) (1), rex magnus, rex regum, rex regionum multis gentibus refertarum, rex hujus terræ vastæ, tum longinquæ, tum propinquæ, Darii regis filius, Achæmenides. » Agnoscimus nomina apud græcos scriptores usitatissima; deprehendimus quoque medicum tumorem toties a veteribus notatum. Est vero operæ

(1) Benfey, *Die Keilinschriften*, p. 63.

pretium inspicere quid sibi velit istud nomen *rex regum*, atque comperire, utrum sit vana arrogantiae jactatio, an titulus fuerit, ut superbus ita veritati accommodatus.

Libros sacros Persarum evolventi sæpius occurrit enumeratio ordinatim disposita dominorum *aricam* gentem administrantium : paterfamilias (*nmána-pati*) paret domino tribus (*viç-pati*) qui ipse obedit domino gentis (*zantu-pati*) qui subditus est domino provinciæ (*daqyu-pati*) (1). Ille ordo, feudalisis, ut appellant, instituti simillimus, nunc quoque apud Persas viget (2) : eundem autem Achæmenidarum temporibus valuisse quam maxime probabile est. His enim tribubus quas Herodotus commemorat, necesse erat ut domini præessent : neque longius forsitan in multis provinciis progrediebatur regia potestas, quam ut a singulis per satrapas, id est regios ministros, et tributum et munia militiæ exigeret (3).

Non sic imperabant persici reges, ut nulla auctoritate interposita, universo imperio præessent, sed multi reges ac reguli suffragiis electi aut hereditario jure usi singulas provincias ac tribus administrabant (4). Cyri inceptum exemplo sumamus : Cyrus, ut inscri-

(1) *Yaçna*, XIX, 50. *Vendidad*, VII, 106 ; VIII, 295 ; IX, 147 ; X, 11.

(2) Spiegel, *Die eranische Stammverfassung*.

(3) Xenophon narrat (*Exped.* III, 5) Carduchos aditum suæ regionis militibus regiis nunquam permisisse.

(4) Mediam, Armeniam, Atropatenem reges habuisse testatur Strabo (XI, 14, 11 ; XI, 13, 1).

NOMINIBUS.

ptiones docent, Achæmenida, id est e regia Persarum familia ortus, summam rerum quæ hactenus penes Medos fuerat, ad Persas transtulit. Non vero regulos evertit neque mutavit, ut ex historia Astyagis elucet, qui post cladem acceptam Hyrcaniis præfectus est, et Croesi qui donatus fuit præfectura *Varenæ*, Ecbatanis vicinæ (1). Ita explicari possunt et cita persici regni incrementa, et frequentissimæ seditiones, et faciles ad hostem defectiones et mira imperii debilitas.

Quam significationem principio habuerit titulus ille *rex regum*, jam perspicuum est : qui non minus ad statum Asiæ quam ad superbiam regum pertinebat.

Titulus rex regum persice *Khsáyathiya khsáyathiyánám*, pehlvice ac recentiore lingua persica *sháhánshá* sonat. Hac forma eum Sassanidarum nomismatibus reperimus, nec non apud Ammianum Marcellinum (2) : « Resultabant, inquit, clamoribus colles : nostris virtutes Constantii Cæsaris extollentibus, ut domini rerum et mundi, Persis Saporem et *saansaan* appellantis et *pyrosen*, quod rex regibus imperans et victor interpretatur. » Ambas voces recte explicat romanus scriptor : altera enim, apud Persas nunc quoque usitata (*fírúz*), victor significat.

Optime quoque Herodotus inter titulos regum nomen *Achæmenida* refert. His verbis utitur Darius initio inscriptionis Bagistanensis : « Edicit Dârayavus rex.

(1) Ctesias, ed. Müller, p. 45. Justin. 1, 7.

(2) XIX, 2, 11.

Pater meus Vistâçpa est, Vistâçpæ pater Arsâma, Arsâmæ pater Aryârâmnâ, Aryârâmnæ pater Caispis, Caispis pater Hakhâmanis. » Quæ si cum Herodoto contulerimus, mire inter se congruentia testimonia inveniemus : Μὴ γὰρ εἶην, inquit, ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος τοῦ Ἀρσάμεος τοῦ Ἀριαράμνεω τοῦ Τεΐσπεος [τοῦ Κύρου τοῦ Καμβύσεω τοῦ Τεΐσπεος] τοῦ Ἀχαιμένεος γεγονώς..... Verba uncis inclusa a librario aliquo inserta esse, quod per se satis manifestum erat, ex comparatione inscriptionis fit luce clarius. Quis vero fuerit ille Achæmenes de quo se genus ducere Darius Cyrusque gloriantur, scire non datur.

Nomen apud Ctesiam (1) invenimus ἀζαβαρίτης, quod Hesychius rectius ἀζαραπατεῖς scribit atque hoc modo interpretatur : ἀζαραπατεῖς οἱ εἰσαγγελεῖς παρὰ Πέρσαις. Quæ Hesychii explicatio nullum aditum dat ad inspicendam verbi originem : scriptores autem latini hoc verbum suo sermone vocabulo *chiliarchus* reddunt, quo ad verum sensum adducimur. *Mille* enim pehlvice *hazar* dicitur : *pati* autem est *dominus*. Habemus igitur persicum *chiliarchum*, qui, ut videtur, intra aulam regis cubicularii muneribus fungebatur. Idem verbum *pati* in nomine *Aspebedes* reperimus (2), quod ἑππαρχος significat, atque in sacris appellationibus *mobed*, *herbed*, i. e. *magapati*, *aéthra-pati* (*magorum dominus*, *ignis sacri dominus*), denique in dignitate quam apud Pro-

(1) Ed. Müller, p. 54.

(2) Procopius, *de Bello persico*, I, 9.

copium invenimus *Adergudunbades* (1), scilicet *dominus igni consecratæ ædis* (*ader kadeh bad*) (2).

Redeamus ad Herodotum ut explicationem ejus de *Orosangis* inspiciamus. « *Orosangæ*, inquit, *persico sermone vocantur bene de rege meriti* (εὐεργέται βασιλέος). » Quæ cum scriberet, non suspicatus est εὐεργέται nihil aliud esse quam *orosangæ*, non solum quod ad significationem attinet, sed quod ad naturam ac compositionem vocabuli. Persice enim *hvarazanha* vocari debebant : *hu* autem (sanskrite *su*) nihil aliud est quam græcum εὐ. *Varezó*, quod actum significat ad radicem *verez*, agere pertinet, sanscrite *vrij*, *varj*, quæ græce ἐργ sonat (3). Ex uno igitur eodemque fonte defluerunt duæ appellationes.

Timeo ne diutius in etymologia, re, ut vulgo existimant, minuta, legentium attentionem detineam. Quapropter, geographicis quibusdam tractatis, opusculo finem imponam, postquam ea, quæ ex institutis originationibus didicimus, brevi repetitione collegero.

(1) Cf. magistratus *adargazrin* appellatos libro Danielis III, 2, 3.

(2) *De Bello persico*, I, 6. Cf. Müller, *Essai sur le pehlvi*, p. 343, et Spiegel, *Avesta*, trad. I, p. 280. Apud eundem scriptorem græcum omnium dignitatum amplissima nominatur *adrastadaran salan* (id est *artishdârdn sâldr*) equitum princeps.

(3) Benfey, *Griechisches Wurzellexicon* s. v. ἐργ. Burnouf, *J. as.*, 1845, p. 412; 1846, I, p. 51.

V.

DE NONNULLIS GEOGRAPHICIS NOMINIBUS.

Strabonem non latuit omnes has gentes quas communi nomine Iran nunc designamus, ad unum eundemque populum pertinere : simul nos docet nomen quod sibi universe attribuebant. Postquam enim *Arianæ* provinciæ limites indicavit ac vicinas regiones, Paropamisadas, Arios, Arachotos, Drangas, enumeravit, hæc verba addit : « Ceterum *Arianæ* nomen etiam usque ad partem quamdam Persarum et Medorum et septentrionalium Bactriorum ac Sogdianorum extenditur : haud multum enim abest quin ejusdem fere etiam linguæ sint (1). » Enimvero id testimonium cum inscriptionibus optime convenit, in quibus Darius sese *Arium*, ex

(1) XV, 2, 8. Adde Herodotum affirmantem, Medos olim ab omnibus *Ario* vocatos fuisse. *Hist.* VII, 62.

Arionatum, appellat, et cum Sassanidarum nummis, qui titulum exhibent *rex Irân et Anîran*, id est *Arianorum* et *Turaniorum* (1). *Arios* autem se quoque Indi appellant, ut e nomine apparet quod regioni suæ indiderunt, *Âryâvarta*, et e carminibus vedicis, quæ sæpe *Arios* cum *hostibus* (*dâsas*), id est indigenis Indiæ populis, pugnantes celebrant. Persæ ac Medi igitur ad idem genus pertinent quod Indiam sibi subjecit. Nominis autem significatio e sanscritica lingua erui potest: *arya*, id est, adeundus, honore colendus, venerandus (2). Non solum ad utrumque populum convenit hæc appellatio, sed nomina propria, cum apud Indos, tum apud Persas, eam frequenter continent. *Âryabhatta* indici cujusdam clari astronomi est nomen; *Âryasinha* quemdam Buddhæ sectatorem designat. Nec minus hanc vocem in persicis nominibus invenimus: *Ariæus*, *Ariaces*, *Ariamenes*, *Ariabignes*, *Ariaramnes*, *Ariomardus*, *Ariobazus*, *Ariobarzanes* atque alia.

Hos tamen auctores sequar minus libenter, qui, ultra fines Persiæ Indiæque vestigia incerta hujus nominis indagantes, et afferentes gentem germanicam de qua Tacitus loquitur, *Arios* (3), aut illum quocum Cæsar dimicavit *Ariovistum*, aut ipsum Germaniæ liberatorem *Arminium*, aut Hiberniæ nomen *Erynn*, conjiciunt

(1) De Sacy, *De quelques antiquités de la Perse*, pp. 47, 84. Lassen, *Indische alterthumskunde*, I, p. 2 ss.

(2) V. Burnouf, *Yaçna*, p. 460, Note LXI.

(3) Tac. *Germania*, 43.

Germanos Celtasque olim *Arios* appellatos fuisse, imo universos populos ad idem genus pertinentes, eo nomine usos esse. Quod nobis eo minus verisimile videtur, quo tardiores originem testatur formatio illius vocabuli: neque facile crediderimus gessisse illas gentes nomen cuius radix apud eas aut illo sensu non usurpatur aut prorsus deest.

Supra dictum est persicis libris genti nomen *zantu* dari (1): quod in his appellationibus Pott agnoscit: *Arizanti*, *Dabisandos*, *Sasanda*. Regio *çtána* appellatur: unde formata sunt *Bagistana*, *Abastani*, *Daristane*, *Apostana*, *Nostana*, *Sacastane*.

Oppida aut castella sive *karta* sive *vara* dicuntur: inde *Carta*, *Tigranocerta*, *Carcathiocerta* (Strabo), *Vologesocerta* (Plinius), *Batracharta* (Ptolemæus). Alterum autem nomen *vara* diversissimis formis exhibetur: *Ur* (Ammian. Marc.), *Ura* (Plin.), *Uera* (Strab.), *Barena* (Ctesias), *Bologesiphora* (Steph. Byz.), *Estobara*, *Bersabora* (Zosimus) (2).

Unum ex his nominibus præcipue attentione est dignum: scilicet *Garsaura* apud Strabonem (3), aut, ut alias scribit, *Garsabora*. Quod quidem vocabulum e *Karsha* id est fossa, et *vara* id est oppidum constat. Zendice autem hoc nomen sonat *Karshavarem*

(1) *Zantu* a radice *zan* (gignere), sanscrita *jan*, græce γεν-, latine *gen-*

(2) Pott, op. cit. p. 392 ss.

(3) XIV, 2, 29; XII, 6, 1.

aut, ut recentiore lingua corruptum est, *Keshvar*, quod manifesto nihil aliud significat nisi *fossa munitum castellum*. Hoc autem nomen in mythica Persarum geographia usurpatum est ad designandas septem mundi partes : planetas enim castellorum imagine descripserunt persici astrologi ac *septem oppida* eos appellaverunt.

Jam vero illis disquisitionibus eo adducor ut aliqua de verbo *paradisus* adjiciam quod, e persica lingua, tum in hebraicam, tum in græcam linguam receptum, inde accitum est in cunctos sermones recentiores. Plutarchus (1) nos recte monet *paradisum* persice septem designare : hoc sensu *pairidaéza* usurpatur in libro zendico *Vendidade* inscripto. Addunt vero scriptores græci paradisos persicos exquisitis arboribus ad delectationem consitos atque animalibus omne genus habitatos fuisse (2) : quæ quidem descriptio mirum in modum illi horto convenit initio libri Geneseos depicto. Scio nomen *paradisus* hoc loco Scripturæ non inveniri : sed occurrit posterioribus libris, neque unquam aliter aut judæi aut christiani auctores hortum illum appellaverunt (3).

Ceterum apud Persas nomen *pairidaéza* aut *daéza* (4) ad cœlestia quoque loca significanda usurpatum est,

(1) *Vita Artax.* 25.

(2) Plut. *Symp.* 3. Xen. *Hellen*, IV, 1, 15. Adde Gellium, II, 19.

(3) V. *Translationem Sept.*

(4) Prius vocabulum significat *circummunitum*, posterius *munitum*. *Pairi* enim nihil aliud quam græcum *περί*.

ubi animæ beatæ habitant. Eo sensu *Kanhadaéza* (recentiore lingua *Kang-diz*) in libris zendicis habemus, quod paradisum in cœlo situm designat; atque eæ, quas epos persicum commemorat, mythicæ regiones *diz* appellatæ nihil aliud sunt nisi diversi hominibus post mortem attributi paradisi.

Ipsa, quam liber Geneseos exhibet, paradisi descriptio nos ad Mediam trahit : duorum enim fluminum nomina sunt persica. *Phrat*, id est, ut omnes agnoverunt, *Euphrates*, persice sonat *hu-frátu*, scilicet *valde largum* : suppressit autem Scriptura adverbium *hu*. *Hadequel* contra idem adverbium continet : est enim *Hu-tighra* id est *valde rapidum* (1). Plinius nos docet id flumen, qua tardius fluit, *Diglito* vocari : quod nimirum nomen idem est ac *Tigris*, dialecto zendica littera *l* carente. *Diglito* vero optime formam hebraicam reddit (2).

(1) *Tighra* zendice acutum, a radice *tij* pungere. Recte Plinius : « A celeritate Tigris. . . Ita appellant Medi sagittam. » VI, 31.

(2) Hodie accolis est *Dagheli*. V. Plin. ed. Lemaire, VI, 31, n. Forma *Diglito* in nomine regis Assyriorum *Thiglath-pileser* continetur.

CONCLUSIO.

Tempus est ut ea colligamus quæ ex hac disquisitione, ad grammaticam potissimum pertinente, historia sibi fructui apponere possit. Prius enumerabimus quidquid ad res persicas spectat, dein id breviter repetemus unde græca historia forsitan utilitatem capiat.

Linguam apud Persas illis temporibus usitatam, quæ Herodotus Ctesiasque referunt, zendicam fuisse, non minus e nominibus apud historicos græcos asservatis quam ex inscriptionibus elucet. Sincere antiqua nomina sunt ea : *Oromazes*, *Mithropastes*, *Mithrabarzanes*, *paradisus*. In quibusdam vero, jam inde ab Achæmenidarum regno, fatiscentem atque ad senium vergentem zendicam linguam deprehendere possumus : cujusmodi sunt *Cyaxares*, *Izabates*, *Tiridates*. Qui linguæ defectus, ut ex illis nominibus propriis manifestus, ita in novissimis Achæmenidarum inscriptionibus sese crebris

mendis aperit. Scilicet persicus sermo, non minus quam Persarum imperium, ad ruinam inclinabat : qui, eodem impetu, quo regnum Darii, subversus, in novas dialectos sese immutavit, nostratibus dialectis e latina lingua ortis satis similes.

Jam igitur non ad zendicam, sed potius ad pehivicam, ut vocant, linguam referenda videntur ea nomina quæ, ad tempora Alexandro posteriora pertinent. Exemplo sint *Omanus, Meherdates, Zarades, Aspebedes, Saansa, Ormisdas.*

Tantum autem a vetere usu deflexit sermo, ut antiqua nomina Persis ænigmata fierent : inde falsæ istæ originationes vocis *Kurus* (*Cyrus*), quas Strabo et Hesychius a Medis, veram vetusti hujus nominis significationem ignorantibus, acceperunt.

Quod ad Persarum religiones et sacra attinet, perspicimus cum e nominibus θεοφόροις, i. e. nomen dei alicujus continentibus, tum ex ipsis Græcorum testimoniis, denique ex inscriptionibus, Herodoti tempore talem propemodum Persarum cultum fuisse qualem eum in Zoroastreis libris invenimus. Herodotus enim Mithram novit; Oromazem, si non nuncupat, certe designat; de ceteris diis, igne, aqua, fluviis, ventis, mentionem injicit; magos in ordinem congregatos ostendit. Quod si ad posteriores scriptores transimus, nomina *Oromazis*, summi dei, et *Arimanii*, supremi dæmonis, et *Zerovanis*, id est temporis infiniti utrique præpositi, apud Aristotelem ac Berosum invenimus : tum Theopompus de significa-

tione disserit septem geniorum quibus Oromazes præsidet, et temporum spatia definit per quæ alternis vicibus Oromazes Arimaniusque regnabunt. Nulla igitur est religio Persarum (de præcipuis tantum ago) cujus antiquitatem, Græcorum testimonio comprobata saltem ad Alexandri ævum referre non possimus (1). Quanti momenti sit, certum finem in re ejusmodi constituere, ii sciunt qui orientalibus studiis operam dederunt; hoc enim communi vitio Persæ Indique laborant, ut plane apud eos nota illa tempora deficiant sine quibus historia condi nequit. Plus igitur ad computationem persicæ antiquitatis testimonium Herodoti vel Theopompi valet quam fama quælibet apud recentiores Persas vulgata de originibus regni medici aut de ætate Zoroastris.

Historiam Achæmenidarum ea parte aggressi quæ ad propositum nostrum spectabat, nomina primorum regum fuisse *Kurus*, *Kambujiya*, *Dárayavus*, *Khsayárshá*, *Artakhsatra* vidimus. Opinamur diversas apud Herodotum servatas narrationes cum de ortu et infantia Cyri, tum de ejusdem nece, natas esse ex confusione cum mythico altero *Kuru*, perantiquo *aricæ* gentis heroe; quippe quod nomen, cujus significatio est *dominus*, apud Persas,

(1) Duobus tantum locis Græcos cum zendicis libris discrepantes invenimus: scilicet Zoroastrea religio neque sacerdotes eunuchos admittit, quales Græci *Megabyzos* describunt, neque impudicum patitur cultum quem apud Strabonem *Anaitidi* habitum legimus. Inde conjici licet Assyriis aut Phœniciis quibusdam fædis ritibus persicas religiones esse mistas, aut nomina persica externis diis imposita fuisse.

teste Xenophonte, a poetis celebraretur, apud Indos autem, quanquam vetustate obscurius factum, in epico carmine egregium adhuc locum teneret.

Inscriptione Bagistanensi cum testimoniis veterum collata, eruere conati sumus, quodnam nomen gesserit Cambysis frater ille quem alii Smerdim, alii Tanyoxarces, alii Oropastem vocant: nomen ei fuisse *Smerdim* diximus aut, si mavis, *Bardiyam*, namque unum atque idem ambas formas valere monstravimus. *Tanyoxarces* autem, si verisimilem conjecturam admittere licet, titulus fuit ei ob minorem potestatem attributus. Simul ex inscriptione collata cum Justiniana narratione perspeximus nomen Magi illius famosi, qui fraud regnum occupavit, fuisse *Gaumátam*.

Si nunc ad universum imperii statum nos convertimus ac primum de nomine populi inquirimus, verum esse invenimus testimonium Strabonis, quo tradit *Arios* appellari Persas Medosque, ceterasque gentes ejusdem regionis. *Arii* quoque, id est, *egregii* Indi vocabantur. E nominum similitudine consanguinitas facile agnosci potest, quam præterea et religionum et sermonis cognatio satis arguunt. In hoc quoque ambo populi conveniunt, quod duo antiquissimi civium ordines, bellatores nimirum et coloni eadem nomina (*Kshatra, viças*) apud utrumque gerunt. Quemadmodum vero in India Brachmanæ paulatim in unum ordinem coaluerunt, qui deinceps supra ceteros eminuit, bellatoresque vicit et pæne exstinxit; ita verisimile est magos, primum nullo inter

se vinculo constrictos, Herodoti temporibus in Media jam ordinem informasse, post mortem Cambysis iter molitos esse ad potestatem, Smerdim per aliquot menses constituisse regem, sed devictos stirpi Achæmenidarum ac bellatoribus cessisse. Non in perpetuum tamen e manibus eorum excidit suprema potentia : sed multa post sæcula, instaurato Persarum regno, una cum Sassanidis ad summum imperium pervenerunt.

Unde autem bellatorum ac colonorum diversitas exorta sit, Herodoto duce investigare tentavimus : qui tradit apud Persas alias tribus bello, alias vero agrorum culturæ operam dare ; igitur non solum a vitæ discrepantia, sed a generis discrimine ordinum diversitatem pendere suspicati sumus.

Jam in varias tam vasti imperii tribus potestatem quomodo suam exercuerint reges haud facile est cognitu : multas vero propriis suis regulis usas esse e quibusdam Herodoti, Xenophontis, Strabonisque locis elucet. Haud scimus an amplius in plurimis provinciis valuerit regia potestas, quam ut a ducibus munia militiæ exigeret, eisque imponeret vectigalia. Non igitur plebem uni tyranno subjectam, sed multiplex imperium, nostri feudalis imperii simile, apud Persas reperimus. Cognomen *rex regum* quod sibi Cyrus ceterique reges Persici attribuunt, ut ad asiaticam superbiam, ita ad hunc quem diximus, regni statum referri debet.

Nunc quoque ea quæ lumen aliquod græcæ historiæ adhibere possunt obiter repetamus.

Herodotum persicæ linguæ ignarum fuisse opinati sumus ex duobus erroribus, quos vitasset certe si eo sermone imbutus fuisset. Non igitur nimia tribuenda illi est fides in iis quæ ab aliis acceperat. In his vero quæ ipse videre potuit, minime falsum eum esse, nobis constitit. Imo mira est ejus scientia rerum persicarum: quin Ctesias, qui per multos annos in aula regum commoratus est Susæ, atque Herodotum arroganter inscitiae accusat, sæpius in iisdem rebus claudicat quas recte Halicarnasseus tradiderat. Herodoto insperatum testimonium inscriptio Bagistanensis tulit, quæ in enumeratione avorum Darii, in nominibus septem conjuratorum, in nomine Smerdis verum esse eum demonstrat. Justini quoque narrationem, aut potius librorum ex quibus Justinus historiam suam hausit, inscriptio duobus locis confirmat.

Ut paucis autem verbis rerum in hac nostra disquisitione summam complectamur, Græci nomina persica non tantum deformaverunt quantum quis facile crediderit. Nunquam enim omnino domi se continuit græcum ingenium, sed exteras res cognoscendi avidum, soni ipsa novitate captum, veluti puer ad omnia insolita arrectus, multas barbaricas voces arripuit ac memoriæ mandavit. Inde tot persica vocabula a grammaticis servata, quæ quidem ipsi apud veteres historicos invenerant. Adde quod inde ab initio historiæ sibi conscius fuit populus græcus magni, quod interciderat, Europæ Asiæque dissidii: acri oculo igitur hostem inspexit, quem sibi superandum esse intellexerat.

INDEX NOMINUM.

- Achæmenes, pag. 38.
Adergudunbades, 39.
Adeues, 22.
Adrastadaran salan, 39 n.
Agradates, 24.
Anaitis, 19.
Areimanios, 21.
Ariaramnes, 38.
Arii, 40.
Arsames, 38.
Artabanus, 7.
Artaphernes, 28.
Artaxerxes, 27, 29.
Asidates, 18.
Aspathines, 28.
Aspebedes, 38.
Atargatis, 20.
Atradates, 20.
Atropates, 20
Atropatene, Atropatia, 20.
Azabarites, Azarabates, 38.
Bagæos, 13.
Bagapæos, 13.
Bagapates, 13.
Bagasaces, 13.
Bagistanon, 14.
Bagoas, 16.
Barisses, 28.
Cambyses, 25.
Comates, 28.
Cyrus, 23.
Dariæus, 29.
Darieces, 29.
Darius, 28, 29.
Derceto, 20.
Devas, 21.
Ecbatana, 4.
Euphrates, 44.
Garsabora, Garsaura, 43.
Gobryes, 28.
Holophernes, 12.
Hydarnes, 28.
Hydracæ, 33 n.
Hystaspes, 38.
Idernes, 28.
Intaphernes, 28.
Izabates, Izalbates, Ixalbates, 13.
Mardis, 27.
Mardonius, 28.
Masdes, 11.
Massabatice, 12.
Mazeus, 12.
Megabates, 15.
Megabazos, 15.
Megabyzi, 15.
Megabyzus, 28.
Megadostes, 15.
Megaphernes, 15.
Meherdates, 9.
Merdias, 27.
Merdis, 14, 27.
Mesabatæ, Mesabatene, 12.
Mithra, 18.
Mithrabarzanes, 19.
Mithradates, 9, 19, 21.
Mithraustes, 19.
Mithrines, 19.
Mithropastes, Mithropaustes, 19.
Mithræos, 19.
Mitrobates, 19.
Mitrostes, 19.
Norondabates, 28.
Oarizos, 15 n.
Omanos, 18.
Onophas, 28.
Ormisdas, 13.
Oromazes, 11.
Orondates, 12.
Oropastes, 12, 28.
Orophernes, 12.
Orosangæ, 39.
Otanés, 28.
Paradisus, 43.
Phraates, 9.
Smerdis, 14, 25.
Sphendadates, 17, 28.
Spitaces, 17.
Spitamas, 17.
Spitamenes, 17.
Spithradates, 17.
Sydracæ, 33 n.
Tanaoxares, 27.
Tanyoxarces, 27.
Teispes, 38.
Teritouchmes, 10.
Tigris, 44.

Tiribazos, 10.
Tiridates, 9.
Tissaphernes, 9.
Xerxes, 29.

Zarades, 10.
Zerovanus, 22.
Zoroastres, 4.

CAPITULORUM TABELLA.

De persicis nominibus in universum quæritur.....	1
De nominibus ad religionem pertinentibus.....	11
De nominibus regum. An apud Persas certi ordines civium exstiterint.....	23
De quarumdam dignitatum nominibus. Cujusmodi fuerit apud Persas regum principatus.....	35
Conclusio.....	45





Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid non.
decembr. ann. M. DCCC. LXII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :
Parisiensis Academiæ rector,

A. MOURIER.





Paris. — Imprimerie A. Lainé et J. Havard, rue des Saints-Pères, 19.

